



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 50. Attila in Gallia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. tari curaret, nocere enim hominis præ-  
 A. C. 451. sentiam, & in Ejus locum illi Monacho  
 ep. 65. ab. 46. rio Abbatem Catholicum præfici. An-  
 c. 2. tolium monet, ne adhucdum de Factis  
 nis illius Principibus, qui Conciliabulo  
 præfuissent, quidquam decernat, etiam  
 pœnitentiæ signa darent, nec etiam Re-  
 conciliationis spem adimeret, sed hoc  
 Negotium Sacræ Sedi mature exami-  
 nandum reservaret, & interim ad Altare  
 in Ecclesia Constantinopolitana eorum  
 Nomina non recitaret.

§. L.

*Attila in Gallia.*

*Jornand.* **B**ella, quæ Romanum Imperium illi  
*Cassiod. Chr.* tempestate misere vexabant, & con-  
*Prosp. Chr.* vocandum Concilium, S. Leone testis  
*Marcell. &c.* retardabant, præprimis ab Hunnis mo-  
 vebantur; (\*) Populi hi feroces, olim  
 superata Mæotica Palude, usque ad ri-  
 pas Danubii pervenerant, atque Impera-  
 tores Orientis ad præstanda tributa  
 coegerant. Theodosio juniore Impera-  
 tore, ex Thracia primum, & Illyrico,  
 deinde etiam ex Achaja, & reliquis Gra-  
 cia

(\*) Hier hat der Uebersetzer, was ihm im Herrn  
 Fleury nicht gefiel, ausgelassen, und über drei  
 Blätter aus andern Profan Schriftstellern einge-  
 schaltet, deren Inhalt sich auf die Kirchengeschichte  
 te wie die Faust auf ein Aug schicket.

ciae Provinciis, prædas egerant. Tandem Rex eorum Attila, subactis pluribus aliis Barbarorum Regibus, Exercitum, in quo quingenta hominum millia fuisse numerata referunt, hoc anno 451. ex Pannonia in Galliam traduxit, simulans, se arma in Theodoricum Visigothorum Regem moturum. Trajecto Rheno, Metas pervenit in Vigilia Paschatis, & urbis tectis ignem subjecit; tunc populus inermis jugulatus, Sacerdotes ante aras contrucidati, nihil ab hoc incendio intactum, nisi S. Stephani oratorium, superfuit. Inde copias abducens Attila multis urbibus, Rhemis, Cameraco, Vesuntioni, Lingonibus, Antissiodoro, perniciem attulit.

Urbi Parisiensi tantus terror illatus, ut jam jam cives cum uxoribus, & parvulis in loca munitiora se recipere pararent; tum S. Genoveva scæminas hortabatur, ut in Deo fiduciam haberent, atque cum maritis suis iram Dei jejuniis, & oratione mitigare studerent. Multæ mulieres, virginis consilium secutæ, dies integros vigilando, & orando in Baptisterio transegerunt. Viros quoque monebat, ne res suas alio transferrent, prædicens, urbes illas, quo se recepturi essent, a Barbaris vastandas, & Parisienses nullum damnum passuros. In illa trepidatione quidam cives sanctæ Virginis

Sæculum V.  
A. C. 451.

Greg. Turo.  
II. hist. c. 6.

vit. S. Ge-  
nov. ap. Bell.  
3. Jan.

S. Genoveva,

inte-

Sæculum V. interitum machinari cœperunt; jamque  
A. C. 451. coeuntes deliberabant, an lapidibus ob-  
 ruenda esset, vel projecta in amnem ur-  
 dis suffocanda, cum Archidiaconus An-  
 tiffiodorensis Parisios advenit, qui, dete-  
 ctis insidiis, ad improbos dixit: *Cave-  
 vobis a consilio pessimo; hanc Virgine  
 S. Germani ore multoties laudari audire,  
 ejusque virtutes prædicari.* Eventus  
 Genovevæ Vaticinio respondit; quippe  
 Hunni ad agrum Parisiensem non ac-  
 cessere.

*Greg. Tur.* At vero Aurelianum urbs obsidione  
*II. hist. c. 7.* pressa, & magna vi mœnibus arietes ad-  
*vita S. Ania-* moti sunt. S. Anianus, illius Civitatis  
*ni. ap. Sur.* Episcopus, cum periculum advertisset,  
*17. Nov.* Arelatem ad Patricium Aetium ivit, &  
 ad auxilium ferendum excitavit, tum re-  
 diens, civitatem intravit, & populum  
 suum, ut opem a Deo peteret, hortatus

*Sidon. VIII* est. Venit Aetius cum Theodorico, Vi-  
*ep. 15.* sigothorum Rege, Barbarosque ad sol-  
 vendam obsidionem compulit, cum dis-  
 jectis mœnibus ingressi, urbem direpta-  
 ri essent. Biennio post hæc S. Anianus  
 ad Superos abiit. Is Viennæ nobili stir-  
 pe natus, adolescentiam necdum egres-  
 sus, relictis, quæ mundi sunt, Cellulam  
 sibi extra Urbem construxit, ubi Deo  
 multis annis serviit. S. Evurtii deinde  
 famam secutus, Aurelianum venit, & e-  
 jusdem Successor in Episcopatu fuit. At

tila in vastissimam Campaniæ planitiem recessit, ubi eum Aetius, cujus Exercitum Gothorum, Francorumque auxilia auxerant, memorabili pugna vicit, & tota Gallia expulit. Urbs Trecensis in immensis illis agris sita, inermis, & murorum præsidio destituta, imminentis Attilæ furorem expavescebat. Verum S. Lupi, ipsorum Episcopi, ei occurrentis reverentia Barbarum continuit; imo S. Episcopum non itineris Comitem modo, sed & sibi, copiisque suis Præsidium ad Rhenum usque esse jussit, promittens ipsum incolumem postea dimissurum. Promisso stetit, seque ejus precibus commendavit.

Sæculum V.  
A. C. 451.

Greg. Tur.  
hist. c. 7.

Vita S. Lupi  
ap. Sur. 29.  
Jul.

§. LI.

*De his, quæ Concilium Calcedonense præcesserunt.*

Imperatore Marciano in proposito perseverante, ut sine mora Concilium in Oriente convocaretur, Epistolæ ad Anatolium, aliosque Majorum Cathedrarum Episcopos directæ sunt, quibus indicabatur, ut Niceam in Bithynia cum tot Episcopis, sibi subjectis, quot placuisset, prima die Sept. convenirent. Imperator se ipsum adfuturum edicit. Epistolæ istæ Constantinopoli, decimo sexto Kalendas Junii, Marciano Consulatum gerenti-

Conc. Calc.  
p. I. c. 36. 37.